



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 750. Quid sit testamentum irritari, quomodo irritetur, & num postea reviviscat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

CAPUT VII.

De irritatione, destitutione, ruptione, revocatione ac mutatione testamenti aliarumque ultimarum voluntatum.

Quaest. 750. Quid sit testamentum irritari, quomodo irritetur, & num postmodum reviviscat.

R Esp. Ad primum: irritari testamentum proprie, & in rigore juris accepto hoc nomine (dum etiam aliàs destitutione, ruptione, revocatione, mutatione testamenti tunc facta reddantur irrita seu nulla) dicitur, dum quod ab initio undequaque, tum ob testatoris personam, tum ob observatas in eo solennitates & necessario ad ejus confectionem requisita validum fuit, ex post pure ob statum testatoris mutatum infirmatur & redditur nullum ipso jure, quoties enim actus ad eum statum pervenit, à quo initium sumere non potuit, toties est vitiosus. *Novell. 22. c. 29.* valente hac regula, saltem in actibus pendentibus & tractum temporis desiderantibus (uti confectio testamenti civilem integritatem testatoris utrumque tempore, tam facti testamenti, quam mortis desiderat) etsi non in transeuntibus & plene perfectis. *Muller. in ff. de injust. rupt. testam. th. 44.* cum *Stryck. ad §. 1. Inst. quib. mod. testam. infirmet.* Patitur autem testator mutationem status quavis capitis diminutione. *pr. Inst. de cap. diminut.* estque hæc diminutio triplex; nimirum maxima, dum quis libertatem amittit, & efficitur servus. media, dum quis civitatem seu jura civitatis amittit. minima, dum quis arrogandum se tradit alteri, pro ut amplius explicatur. *§. 1. 3. 4. Inst. eod.* De cætero propter alia supervenientia impedimenta facti, quæ aliàs testamenti factiorem impedivissent, illud conditum non infirmatur. sic si testator sanæ mentis, dum conderet testamentum, & post evaderet furiosus: vel sani corporis fiat mutus & surdus; vel prius bene administrans res suas, declararetur prodigus, testamenta illorum remanent valida. *L. 6. §. surdus. L. 18. ff. qui testam. fac. poss. Muller. l. c. th. 46.*

2. R. Ad secundum: recuperato pristino statu, testamentum ob dictum impedimentum juris superveniens irritatum ob maximam vel minorem capitis diminutionem, sine ullo facto seu ulteriore voluntatis testatoris declaratione reviviscit, modò mortis tempore testator habilis fuerit ad condendum testamentum; non quidem stricto seu jure civili (cùm quod eo jure semel infirmum & invalidum non convalescat) sed de jure benigniore seu pratorio. *L. 12. §. 17. ff. de injust. rupt. irr. fact. testam.* *Muller. ibid. th. 45.* *Harpr. ad §. 4. Inst. quib. mod. testam. infirm.* contra *Brunem. ad L. 6. ff. de injust. rupt.* & alios, qui censent nostris moribus & juxta praxim & consuetudinem, de cujus universalitate dubitant alii, testamentum non irritari capitis diminutione; eò quòd damnatis bona & libertas non adimatur, adeòque de iis adhuc testari possint. Dixi: irritatum ob maximam vel minorem seu mediam diminutionem capitis: nam si irritatum ob minimam diminutionem, testamentum, non aliter vires recipit, quàm si constet testatorem voluisse prius testamentum va-

R. P. Lour. Jur. Can. Lib. III.

lere; adeòque requiritur hujus voluntatis declaratio sufficiente ad hoc expressione per codicillos juxta *L. 11. §. fin. de honor. possess. secund. tab.* *Stru. in ff. de injust. rupt. th. 48. lit. β. & γ.* qui etiam hujus differentie rationem hanc subdit: quòd, qui arrogandum se dat, cum capite fortunas quoque suas in familiam & domum alienam transferat voluntario, & sic tacite renunciet priori testamento; qui vero fit servus vel deportatur, contra vel præter voluntatem suam fortunas amittat.

Quaest. 751. Quid sit testamentum destitui, & qualiter fiat hæc destitutio, & quis ejus effectus.

1. R Esp. Ad primum: destitui dicitur testamentum, quando etiam in eo institutus hæres, nullus tamen ex eo hæres existit. *Arg. L. 73. ff. ad leg. falcid.* Fit autem, eò quòd hæres in eo institutus vel non vult esse hæres, sed hæreditatem repudiat; vel ab ea abstinet; vel quia non potest. *§. 2. Inst. eod.* Ubi tamen hæres institutus hæreditatem non repudians decedat intra annum concessum ad deliberandum, eandem transferat ad hæres suos juxta *L. 19. c. de jur. deliberandi*, verum de hoc supra fusiùs.

2. R. Resp. Ad secundum: effectus hujus destitutionis est, quòd jus omne ex testamento aliàs competens. v. g. substitutio pupillaris, exhæredatio, datio tutoris, codicilli fideicommissum universale, legata, fideicommissa particularia cesset, deferaturque hæreditas hæredibus ab intestato venientibus, licet in eo testamento exhæredati. *Lauterb. in ff. de injust. rupt. irr. §. 26.* singula stabiliens. quod tamen quòd ad legata variè ab eodem. *§. 27.* limitatur; ut illa valeant, si illa ab intestato venientes præstare rogati sint. *L. 29. c. de fideicom. & ibi, Brunem.* si testamento destituito adjecta clausula salutaris: *omni meliore modo: vel codicillaris: & hæres legitimi hæreditatem adeant.* *Carpz. p. 3. c. 2. def. 21. Gail. L. 2. obs. 134. n. 5.* si legata sint ad pias causas. *Carpz. p. 3. c. 4. d. 28. n. 8.* si hæres scriptus in fraudem legatariorum non adiit ex testamento. si Fiscus nemine adeunte bona occupavit. *L. 96. ff. de legat. 1.* si legata relicta in testamento militis. *L. 4. ff. de testam. milit.*

Quaest. 752. Quid sit testamentum rumpi, & qualiter id fiat.

1. R Esp. Primò: testamentum rumpi dicitur, dum testatore manente in eodem statu, ipsius testamenti jus viciatur, pro ut dicitur. *pr. Inst. quib. mod. testam. rumpat.* supponit hæc ruptio testamentum ab initio fuisse validum seu justum, hoc est, jure factum, nimirum in quo omnia juris solennia servata. Estque distinctum à rescissione testamenti, quæ fit officio Judicis per querelam inofficiosi, quæ potius est declaratio nullitatis; quia nullum est ab initio ex præteritione hæredum existentium tempore confectionis testamenti.

2. R. Resp. Secundò: contingit hæc ruptio modo

Yyy

dupli-